



CAPITIS TERTII AD ROMANOS.

Argumentum, partitio, analysis.

Pergit Apostolus convincere Iudeos, quod licet variis à Deo privilegiis ornati fuerint ob suam tamen perfidiam nihilo gentibus prestent, sed aqua sint rei: idq; testimoniis & argumentis Scriptura confirmat. Inde concludit, neminem hominum operibus justificari: quæ fuit assumptio primæ demonstrationis supra cap. 1. ver. 18. hæc tamen probata & vindicata. Tandem subdit conclusionem principalem: Omnes igitur justificari fide, absq; operibus legis, per redemptionem Iesu Christi: eamq; directè confirmare incipit. Seco igitur caput in tria:

PRIMA SECTIO à ver. 1. ad 9. est apologetica, refutans calumnias, quas Judæi hostes Evangelii nectebant ex doctrina Pauli, & ex jam dictis. Sunt autem tres. *Prima calumnia* quod Paulus sit in Deū contumeliosus, & quando populum Dei gentilibus, & nullam relinquendo illi præ istis prærogativam. Hujus tantum ponit assumptionem ver. 1. Sed negat: cōcessionem eximie prærogative ver. 2. Eamq; confirmat à Dei constantia, ex Psal. 36. 116. & 51. ver. 3. 4. *Alter calumnia* nectitur ex dicto Psal. 51. quod faciat Deum injustum, dicendo Deum judicare, hoc est, vindicare peccata, quibus ipse justificetur in sermonibus suis, seu quibus illustretur ejus justitia & veritas antiqua: *Syllogismus est: Qui judicat peccata, quibus ipse justificatur in sermonibus, seu verax esse declaratur, est injustus: Ratio quia illustrantibus judicis justitiam & veritatem, premium debetur non poena. Deus infert poenam nostræ injustitiæ, qua ipse justificatur in sermonibus suis, seu, qua ejus ju-*

stitia & veritas commendatur. Est ergo injustus Pauli doctrina. Major omittitur: Assumptio ponitur cum conclusione per interrogationem v. 5. Respondet averfatione conclusionis blasphemæ: & refutat à proprio Dei officio ver. 6. *Tertia calumnia*, superiori affinis sed atrocior, nectitur ex dictis Psal. 36. & 116. detortis, quod Paulus aperiat fenestram scelerib. docendo, homines esse mendaces, ut Deus fit verax, & facienda esse mala, ut eveniant bona. Si enim per nostra mendacia illustratur Dei veritas, mendacia non debent damnari, sed strenuè est mentendum, ut strenuè illustretur Dei veritas: At illud: Ergo hoc ver. 7. 8.

Syllogismus erit: Qui per sua mendacia Dei veritatem illustrent, injuria damnantur. Nos nostris mendaciis, illud facimus. Ergo, &c. Apostolus 1. calumniam arguit blasphemæ κατὰ τὸν βλασφημίας. 2. Negat majorem & retorquet per βλατοί: Qui mentiuntur, ut illustretur gloria Dei, & faciunt mala, ut eveniant bona, eorum damnatio justa est: ὡς τὸ κέλημα ἐστὶ δικόν ἐστὶ. ver. 8.